









1773, 2  
DECANVS

ORDINIS ICTORVM IN PERANTIQVA ELE-  
CTORALI MODO INSTAVRATA EMMERI-  
CIANA ACADEMIA ERFVRTENSI

D. RVD. CHRISTOPH.  
HENNE, IC<sup>TVS</sup>

EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MO-  
GVNTINI CONSILIARIVS REGIMINIS, PRAEDICTI ORDINIS  
ET IVDICII PROVINCIALIS ADSESSOR, NEC NON CODI-  
CIS ET IVRIS FEVDALIS PROF. PVBL. ORDINARIVS

SOLEMNIA INAVGVRALIA

NOBILISSIMI ET CLARISSIMI IVRIVM CANDIDATI  
DN. AVGVSTI HENRICI SCHROETER,  
DICASTERIORVM ELECTORALIVM ERFVRTENSIVM ADVOCATI,

DIE XIV. IVLII MDCCLXXIII.

IN AVDITORIO IVRIDICO COLLEGII ANSELMINI  
PERAGENDA,

INDICIT,

SIMVLQVE NONNVLLA, DE CREDITORE AD PARTICVLA-  
REM SOLVTIONEM ACCEPTANDAM, IN NONNVLLIS  
CASIBVS OBLIGATO,

FRÆMITTIT,

---

ERFORDIAE, LITERIS HENRICI RVDOLPHI NONNII,

ACADEMIAE A TYPE







I.

**S**olutionem esse praestationem eius, quod in obligatione erat, optime definit perillustis quondam L. B. DE WOLFF *a)* quae etiam definitio praec aliis singulari se commendat perspicuitate, VLPPIANVS *b)* quidem soluere cum dixit, qui fecit, quod facere promissit, cum vero faciendi & dandi obligatio plerumque in iure Romano sibi inuicem opponantur *c)* haec definitio strictior videtur esse definito, dum solam faciendi obligationem tollere, docet, sed salua res est, quando animo perpendimus VLPPIANVM generalem vocis *facere* significatum, denotantem omnem omnino faciendi causam, dandi scilicet, soluendi, numerandi, iudicandi, ambulandi, ob oculos habuisse. *d)*

*a)* in Horis subsecutis Marburg. 1730. trim. bauns. N. 2, 6, 2

*b)* l. 167. ff. de verb. signif.

*c)* l. fin. ff. commodat.

*d)* l. 218. ff. de verb. significat.

§. II.

Solutionem ita esse praestandam, ut omne illud, quod in obligationem deductum est, debitum, tollatur, analogiae iuris, quam maxime conuenit, ita, ut creditor inuitus, ad particularem acceptandam solutionem, in regula non sit adstringendus, sed potius prout aliquid contractum, ita & solui debet, *a)* vnaque obligatio etiam vna solutione est extinguenda, cum constet particularem praestationem multa secum trahere incommoda *b)* ex quo prono fuit alneo, debitorem in exsolutione totius debiti moras nectentem, ac debitum pro parte deponentem, non a nexu obligationis liberari, sed vfuras depositae etiam pecuniae vltiori cursui adhuc esse obnoxias *c)* neque etiam emtorem pretii partem venditori offerentem, ex contractu emti venditi agere posse, *d)* imo nec debitorem a nexu pignoris liberari, si particularem velit creditori praestare numerationem. *e)*

*a)* l. 80. ff. de solut.

*b)* l. 3. ff. fam. arciscund.



c) l. 4. §. 1. ff. de usuris. l. g. c. de solut.

d) l. 13. §. 8. ff. de act. emt. vendit.

e) l. 85. §. 6. ff. de verb. obligat.

### §. III.

Haec, vtut in regula recte se habeant, dantur tamen casus, vbi particularis solutio, his non obstantibus, optimum sibi vindicat locum, adeo, vt etiam creditor inuitus, ad illam acceptandam sic obstrictus. Agmen horum casuum ducit miseria illorum creditorum, qui belli calamitatibus afflicti, soluendis debitis impares sunt, hi enim ex dispositione Recess. Imp. Nouissimi a) quoad summam principalem pro renata in duobus, tribus, quatuor, quinque, vel sex & septem terminis, soluendam, admittuntur, & quoad usuras quartae partis solutione defungi possunt. b) Ansam quidem huic sanctioni praecipue dedit miseria belli illius tristissimi, quod per triginta annos, nostram adflixit Germaniam, nullum tamen est dubium, ob eandem rationem hodie etiam flebile hoc debitorum beneficium locum inuenire posse, modo requisita in lege hac Imperii praescripta, adsint. conf. omnino SEVERIN THEODOR NEVRODT. c)

a) §. 172.

b) Rec. Imp. nouissimo §. 173.

c) in der gegenwärtigen Verfassung des Heil. Römischen Reichs in Staats- und Justiz-Sachen Anmerkung 361. & 369.

### §. IV.

Vt vero depauperatus eiusmodi debitor particularis solutionis beneficio frui possit, ante omnia opus est, vt doceat suam inopiam & soluendi impossibilitatem, ad quam vero docendam, eius sufficit iuramentum, a) si alia probationis subsidia non praesto sint, deinde requiritur, vt accedat moderamen iudicis, in diuidenda & determinanda solutione in certis terminis, facultatibus debitoris respondentibus, vtramque faciens paginam, denique etiam securus reddi debet creditor de hac solutione in constitutis terminis praestanda, mediante cautione his debitis sufficiente arbitrio indicis determinanda, conf. MEYER, b)

a) Nov. 135. cap. 1.

b) parte 7. decif. 45.

### §. V



§. V.

Particularem quoque solutionem coeditor accipere tenetur ab heredibus, cum inter hos pro parte haereditaria nomina ipso iure sint devisa, atque sic praestationi particulari obnoxia a) pars enim illa, quam pro rata sua solvit haeres, pro toto, quod debet, habenda est, satisfacit igitur eiusmodi haeres omni suae obligationi si pro rata ex numero cohaeredum determinanda, portionem debitam praestet, per quam omni ulteriori exactioni quoad ipsius personam obex ponitur, & negligentia cohaeredum ipsi non potest damno cedere, supponitur autem hic haereditas per divisionem in partes scissa, cum e contra in alia omnia eundum sit, in haereditate adhuc indivisa, & ad singulos haeredes spectante, conf. VERNHER. b)

a) l. 6. c. fam. ardescund.

b) in Supplem. nov. ad partem 1. obs. 305, num. 107.

§. VI.

Uterius particularis solutio recte fieri potest, si pars debiti liquida, pars vero illiquida sit a) quo in casu creditor illam accipere, & de illiquido in liquidum deducendo iudicem implorare debet, vid. BARCLAYUS b) debitor enim talis, summam, quam se debere fateatur offerens, totum obtulisse videtur, cum de reliquo nondum adhuc liquido non constet, sed illud mediante probatione demum ad liquidum sit deducendum, & posterius a priori separandum. Quapropter optime sibi consulit creditor partem a debitore oblatam accipiens, & iudiciale depositionem multis incommodis obnoxiam evitans, debitor autem per solutionem quoad partem solutam, omnibus renuntiat exceptionibus, conf. FREYERUS c) & STRYCKIUS d)

a) in l. 21. ff. de creditis in Tom. III. Thesauri Ottoniani.

b) l. 21. C. de rebus creditis.

c) de solut. cap. 12. num. 15.

d) in consil. Halensibus tom. 2. lib. I. consil. 70. num. 9. 10. 11.

§. VII.

De reliquo vero ex recepta parte debiti, etiamsi aliquot vicibus facta, non obligatur creditor, ut imposterum etiam partialem recipiat

X3

solu-





6  
solutionem, vid. MEYVS <sup>a)</sup> vltro enim recepta particularis solutio liberalitatem & beneficium inuoluit, ad quod continuandum, eo minus aliquis cogi potest, quo certius constat, illud quodquis, nullo iure cogente facit, non posse ad exemplum trahi, & nemini liberalitatem praedicio suo cedere debere.

<sup>a)</sup> parte 2. decis. 208.

### §. VIII.

Porro rusticis annuos census, vel annuas praestaciones reliquas debentibus, conceditur, vt si illae per plures annos non fuerint praestitae, & exinde eluceat, illos ad incitas redigi, aliisque oneribus ferendis impares futuros, si ad totam soluendam summam adstringantur, vnam ex antiquioribus, & vnam ex nouioribus praestent, & hac solutione eoque pergant, quousque omne, quod restat debitum fuerit resolutum, quo pacto cauetur, ne omnem simul perdant substantiam, & in perniciem Reipublicae viuere cogantur, quod eo magis auertendum est, quo grauius est damnum in publicam rem inde redundans, vid. MEYVS, <sup>a)</sup>

<sup>a)</sup> parte 5. decis. 103.

### §. IX.

Denique etiam nullum est dubium, quin iudex ex rationabili causa, debitori cuiunque inopia presso, concurrente simul singulari illius vel causae fauore, hoc modo possit succurrere, vt creditorem adigat, ad particularem acceptandam solutionem <sup>a)</sup> fauor enim publicus semper militat pro subditis quacunque ratione conseruandis <sup>b)</sup> prouti praedicta apud LEYSERVM <sup>c)</sup> multis euincunt argumentis,

<sup>a)</sup> l. 4. §. 6. ff. de statu liber.

<sup>b)</sup> l. 4. c. de collat. fund. patrim.

<sup>c)</sup> in meditat. ad ff. specim. 12. meditat. 4.

Plura, quae huc spectant, in lectione, quam vocant cursoria ad l. 21. ff. de rebus creditis in medium proferet.

NOBILISSIMVS ET CLARISSIMVS

DN. AVGVSTVS HENRICVS SCHROETER

IVRVM CANDIDATVS PRAESTANTISSIMVS,

Cuius



Cuius natales, studiorum rationem, & reliqua ad ipsum spectantia, vitae monumenta, propriis illius sequentibus recensemus verbis:

Natus sum Erfordiae Anno *MDCCLXII. die XXIX. Martii* Patre Paulo Christophoro Schroeter, Dicafteriorum Electoralium Erfurtensum Aduocato, & Matre Regina Sophia nata Streckerodt. Hos optimos parentes mihi ereptos adhuc satis lugere nequeo. Ineunte adolescentia prima literarum fundamenta in schola quam vocant Minoritana posui, deinde ad Gymnasium, quod hic floret, Senatorium admissus, per triennium in elegantiores doctrinas dirigente STIELERO e viuis erepto incubui, posthac autem publice dimissus, Gymnasio rite valedixi meque ad studia academica conuerti atque Musarum sedem Ienensem adii, ubi a Magnifico Pro-Rectore DOM. SCHMIDT Iur. Prof. Publ. Ord. albo ciuium academicorum sum insertus. Ab initio incubui in studium theologicum, ac principia dogmaticae theologiae, ut & Historiam Ecclesiasticam ex ore summe Reuerendi WALCHII hausi, principia vero linguae hebraicae CL. DN. HIRT modo sacrorum Antistes me docuit. In Philosophicis autem studiis praecedentes habui Viros longe celeberrimos, nempe in Iure Naturae & Philosophia morali DARIESIVM & in Logica & Metaphysica POLZIVM.

Redux in patriam in numerum ciuium academicorum Vniuersitatis Erfordiensis velatus sum a Rectore Magnifico HYNOLD. SS. Theologiae Doct. & Prof. p. o. reliqua, modo e viuis erepto, & nunc in cursum philosophicum duce DAYMERO in Gotschedii elementa philosophica, & BEER in doctrinam Logices incubui. Cum Philosophia Mathematica & Physicam coniunxi & has disciplinas ex ore admod. Reu. P. BERNARDI GRANT, Philos. Prof. & Facult. Philos. Adess. hausi. Styli cultioris fundamenta tradita accepi a Viro Ill. & Doctiss. HADELICH, Ciuit. Erf. Consule Seniore, Philos. Prof. p. o. Facult. Philos. & Academ. Elector. Assess. Societat. Reg. Bor. & Elect. Lips. Collega. Nunc autem studio Iuris addictus institutiones percepi ex ore Viri Ill. Consult. ac Doctiss. CHRIST. FRIED. IMM. SCHORCH Iun. I. V. D. & Facult. Iuridicae Adess. & Pandect. Prof. publ. ord. Ius Naturae, vniuersam Iurisprudentiam positiuam ad Nettelbladtium, Institutiones, Pandectas, Ius Canonicum, Historiam Imperii & Ius publicum Vir Illustr. ac Consultiss. TYRIN, p. t. Academiae Rector Magnificus, Facult. Iurid. Adess. & Prof. publ. ord. Bibliothecae Boineburg Director, me docuit. Huius Viri celeberrimi omnis generis in me merita me grata mente ad cineres usque veneraturum profiteor. Fructum vberissimum porro percepi ex Viri Ill. Consult. ac Doctiss. RVD. CHRIST. HENNE, Electoral. Regim. Consil. I. V. D. Facult. Iurid. nec non Elect. Iudic. Prouinc. Ass. Cod. & Iuris feudalis P. P. O. Iureconsulti celeberrimi, doctissimis praelectionibus in Habernickelii Elementa Iuris ciuilis & Mascouii Ius feudale



dale. Audiui denique praelectiones doctissimas ac elegantissimas Viri Ill. Consultiss. ac Doctiss. Iureconsulti famigeneratissimi HIERON. FRIED. SCHORCH, S. P. Caes. Com. Electoral. Regim. Consil. Ciuit. Erford. Consul. primar. Facult. Iurid. Adjess. Sen. nec non Prof. P. O. in Ius Ecclesiasticum & publicum. Peragrato igitur amplissimo Iurisprudentiae campo, causarum forensium experimentis priuatam operam dedi. Postquam autem examen rigorosum Illustris ICtorum Ordinis ante quadriennium subiui, cum consensu huius Inclytiae Facultatis praelectiones academicas aperui, & hasce omni qua fieri potest diligentia hucusque continuauim. Tandem Anno MDCCCLXX. perillustre Regimen Electorale Erfurtense editis antea speciminibus in Aduocatorum numerum me perquam gratiose recepit. Summum numen super nunc adoro, ut conatibus & laboribus meis propitium benedicere velit.

Cum igitur Noster, omnia, quae ad solidam Theoriae & praxeos conducunt scientiam, hucusque excoluerit, legi Electorali obtemperaturus, nunc ad summos adspirat Iurium honores, & literis ordini nostro exhibitis propositum suum manifestauit, landabili proinde huic desiderio annuentes, admissimus illum ad Examen, quod a rigore nomen trahit, in quo textus enucleandos optime interpretatus est, & quaestionibus propositis, respondendo ita satisfecit, ut nullum nobis haeserit dubium, quin cum laude, ad eos, quos petit honores admitti possit. Quem in finem futuro die XIV. Iulii supra dictam legem lectionis cursoriae loco exponet, & deinde Dissertationem suam Inauguralem

DE

VI ET POTESTATE CLAVSVLAE CODICILLARIS TESTAMENTIS QVAE EX POST INFIRMANTVR ADIECTAE

publico eruditorum examini me praeside subiiciet. Quibus actibus solemnibus rite cohonestandis, ut interesse velint, Magnificus Academiae Rector, singularum Facultatum spectabiles Decani, venerandi Seniores, vnacum reliquis Proceribus, & Ciuium Academicorum corona, decenter & humaniter inuitantur. Publ. sub Sigillo Ordinis ICtorum die XI. Iulii MDCCCLXIII.

(L.S.)



Erfurt, Diss., 1770-73



f  
56.

W18







34

1773, 2

# DECANVS

ORDINIS ICTORVM IN PERANTIOVA ELE-  
CTORALI MODO INSTAVRATA EMMERI-  
CIANA ACADEMIA ERFVRTENSI

D. RVD. CHRISTOPH.  
HENNE IC

EMINENTISSIMI AC CELSISS  
GVNTINI CONSILIARIVS RE  
ET IVDICII PROVINCIALIS  
CIS ET IVRIS FEVDALIS

## SOLEMNIA I

NOBILISSIMI ET CLARI  
DN. AVGVSTI HEI  
DICASTERIORVM ELECTORALI

DIE XIV. IVLII

IN AVDTORIO IVRIDICI  
PERA

INI

SIMVLQVE NONNVLLA, DI  
REM SOLVTIONEM ACCE  
CASIBVS  
PRAE

ERFORDIAE, LITERIS H  
ACADEM.

